publicarum, vectigalium &c. singulariter obtinet, 1mò: ut per mortem unius non dissolvatur in totum societas, sed in superstitibus continuetur: 2dò: quod ab initio rectè hæres adscribatur: 3tiò: licet non sint adscripti hæredes, ad divisionem tamen provocare nequeunt, sed damnum & lucrum, quod & expost contingit, pro communi agnoscent: neque exin quis malè inferet, hæredem à cæteris cogi posse, ut administrationem suscipiat, & in socium adsciscatur: & vice versâ. *Conf. l.* 59. *pr. l.* 63. §. 8. *ff. h.* ex personis quoque dissolvitur morte civili sive maximâ & mediâ capitis diminutione unius ex sociis. Illâ status libertatis, hac civitatis retentâ libertate amittitur: §. 1. 2. *Inst. de cap. min.* Qui patitur minimam socius manet, licet duabus actionibus agi possit, si emancipatione contigerit. *L.* 58. §. 2. *ff. h.* cujus bona omnia publicata sunt, pariter pro mortuo habetur. *L.* 65. §. 13. *ff. h.* cum Fiscus in ejus locum subintret. Item qui bonis cessit, §. 8. *Inst. h. l.* 4. §. 1. *ff. h.* cum & jura societatis cedi debeant creditoribus, cedens societati mortuus videtur: quod si reliqui de novo consentiant, inter eos nova incipit societas. §. 8. *Inst. h.* cedens quoque post cessionem assumi poterit, & de lucro tutus participabit ad competentiam usque: minimè tamen ubi bonis cedens operas tantùm præstabat, societas dissolvetur. *Vinn. ad* §. 8. *Inst. h.*

§. 4. Ex rebus: earum interitu tam physico quàm morali: dum quidem res naturâ manent, conditionem tamen mutarunt. Nemo enim rei, quæ humano commercio exiit, quoad proprietatem saltem; aut quæ publicata sit, socius esse potest. *L.* 63. §. 10. *ff. h.*

MISCELLANEA.

Ex Jure Naturæ.

Jus naturale à positivis separatum est, nec ex iis necessariò interpretandum.

Patria potestas juris naturalis nec emancipatione, nec dignitate tollitur.

Jura ultimarum voluntatum naturali jure nequeunt subsistere.

Ex

Ex Jure Gentium.

In Jure Gentium distinguendi sunt boni mores, quæ in privatam quarundam Gentium utilitatem tendunt, ab iis, quæ publicum omnium Gentium bonum respiciunt.

Nulla Gens sine lege fundamentali cogitari potest.

Fœdera de non lædendo inire necesse non est Gentibus.

Ex Jure Publico.

Quotquot sunt in Imperio Provinciæ, unum in nexu unius supremi capitis statum efficiunt, non aristocraticum, minùs fœderatum.

In Comitialibus negotiis propriè talibus Jus eundi in partes extra causas religionis non competit.

Matrimonium inter personas immediatas statum civilem nec ponit, nec tollit.

Ex Jure Canonico.

Impedimenta matrimonium dirimentia vel concernunt Jus partium, vel Jus Dei, aut Ecclesiæ, ibi, non hic transactio pro vel contra matrimonium valere potest.

Etiam post præsentationem à patrono laico factam, quamdiu institutio subsecuta non est, adhuc simonia committi potest.

Compromissum super electione unius contradictione infirmatur.

Ex Jure Civili.

Deposito irregulari in mutuum converso privilegia & onera depositi evanescunt & datur condictio certi ex mutuo.

Legatum annuum certis personis purè relictum unâ præscriptione amittitur.

Pupes cum tutore super culpâ in re tertii admissâ transigens, actiones cedendo non defungitur.

Ex

Ex Jure Feudali.

Divisionem feudi in merè & mixtim hæreditarium non admitto.

Simultaneè investitus exspectativarium præcedit ùt ùt tempore priorem.

Feudum filio ab hæreditate paterna abstinenti cum consensu agnatorum restitutum, manet antiquum.

Ex Jure Criminali.

Usus Torturæ ad præscriptum C.C.C. ineptè injustus clamitatur: exin tamen me à condemnatione ad operas publicas alienum esse malè quis inferret.

Duplex pœna ob idem delictum juris analogiæ non adversatur.

Satisfactione læso præstitâ inquisitio non tollitur.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19